



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Expositio orationis Dominicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

444 TESTAMEN. ANIMOR  
coelo delapsi, huic summo Regi,  
sanctissimo Dei Filio, Domino &  
Patri nostro, sub his speciebus pa-  
nis & vini, in hoc & alijs omnibus  
altaribus totius mundi praesenti,  
ministratis, & assistitis. Intercedi-  
te apud ipsum pro me, & omnibus  
vivijs & defunctis. Amen.

Et tu o sanctissima & semper ve-  
neranda Trinitas Pater, Filius, & Spi-  
ritus sanctus, quae nostri amore im-  
pulsam tam insignem & amoris plenum  
mysterium Ecclesiae reliquisti: mi-  
serere mei & omnium peccatorum.

IESVS. MARIA. Franciscus.

## EXPOSITIO ORATIONIS DO-

MINICAE,

*Intellectum illuminans, & animam  
ad amorem unitivum Creatoris  
sui subuehens,*

PATER

O Summe Deus, tu es Pater, quo-  
tidie generas spirituales filios  
per semen amoris viuificantis.

Quan-

**PARS TERTIA. 445**

Quando filius tuus efficiar? quando te toto corde diligam? quando ex omnibus viribus te amabo? quando te intra viscera meis brachijs amoris constringam? quando te in anima mea complectar?

**NOSTER.**

O dulcissime Deus, tu es Pater noster: Pater inquam totius creaturæ: quandoquidem per omnia diffundis signa tuæ suavissimæ bonitatis.

Quando te tam ardentem diligam, ut in me vestigium aliquod tuæ bonitatis appareat.

Quando omnis à me malitia & improbitas diffugiet, ut locum præbeat tuæ sanctissimæ bonitati? quando cordis mei os ad eum dilatabitur, ut te totum absorbeat & deglutiat Deum & Patrem meum.

**QUI ES IN COELIS.**

O anima mea animaduertis nunc Deum in caelis habitare, & illic esse locum requietionis eius? quando igitur ad instar caeli speciosa, clara & splendida rutilantibusque virtu-

446 TESTAMEN. ANI  
tum stellis ornata eris, vt Deus in te  
habitationem suam constituat?

O Deus optime & Pater benignissime, quando dignaberis in hanc miseram & miserabilem animam meam ad habitandum descendere? Quando animam meam amoris tui igne ab omnibus sordibus & immunditijs vitiorum perpurgabis?

Quando anima mea caelo similis efficietur, vt in ea non aliter, ac in thalamo tuae altissimae Maiestatis commoreris?

SANCTIFICETVR NO-  
MEN TVVM.

O Deus, amor meus, tum sanctificatur, hoc est, ab omni terrena labe, & concretionem secernitur in nobis notitia tua: quando sublata omni carnalitate, tu solus super omnia diligeris.

Quando igitur o Deus te toto corde meo diligam & complectar? Tunc nullum vltra in me locum habebit terrena vlla labe, cum tu Deus per gratiam & amorem tuum habitaueris in me.

AD-

PARS TERTIA. 447  
ADVENIAT REGNUM  
TVVM.

Miserum me, non deest in me  
Domine, qui regnet. Regnum sibi  
vindicare conatur in anima mea,  
interdum superbia, nonnunquam  
gula, aliquando luxuria, sed tu, o  
Deus adiuua me, quia nolo ut alius  
quisquam regnet in me præter te  
dulcissimum Patrem meum.

O Domine tunc regnabis in me,  
cum ego te feruentissimè dilexero.

Quando igitur Domine diuini  
amoris vinculo agglutinabis tibi  
animam meam, ut tu solus domine-  
ris & regnes in me, quando quidem  
in anima diuini amoris igne æstu-  
ante requiescis, non secus ac in pro-  
prio domicilio.

Quando fugient à me vitiorum  
tenebræ, ut tu lux clarissima præ-  
sentia tua animam meam solus sub-  
intres, & possideas.

FIAT VOLVNTAS TUA SI-  
CVT IN COELO, ET IN  
TERRA.

Tum dulcissime Pater adimple-  
bitur

448 TESTAMEN. ANIMAE  
bitur in me voluntas tua, quando  
(quātum possibile est humanæ fra-  
gilitati) voluntas mea tuæ volunta-  
ti conformis fuerit. vti est illorum  
beatissimorum spirituum, qui te fa-  
cie ad faciem in cœlis contemplan-  
tur.

Sed, quid dulcissime amor meus,  
hanc in me voluntatis conformita-  
tem efficere potest, nisi vehemen-  
tia & impetus amoris, quæ contra-  
rias voluntates vāit?

Quando igitur spes mea, te totis  
viribus meis diligam, vt tibi soli  
coniungar, & quæ tibi placita sunt,  
cupiam?

PANEM NOSTRVM QVO-  
TIDIANVM DA NOBIS  
HODIE.

O Panis Angelorum quando ad  
delitiosissimā mensam diuini amo-  
ris reficiar, & satiabor: O Deus  
quis mihi suauissimum tui amoris  
panem tribuat, vt eodem me pane  
sustentem, quo Angelici spiritus, &  
Beatorum animæ in cœlesti gloria  
satiantur: vt tanquam catellus ex  
micis

micis cadentibus de mensa Domini mei reficiar?

O Pater benignissime hunc panem mihi incessanter impertire, quandoquidem ne in presenti vita deficiam, illo vehementer quotidie indigeo:

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

O Deus creditor clementissime: quando certus ero te mihi omne debitum scelerum meorum immanium & nefandorum dimisisse?

O Pater sanctissime & liberalissime, peccata mea grauissima à te vnico & summo bono me separarunt, atque inimicum tibi constituerunt?

O miserum me, quomodo redire potero in gratiam, & amicitiam tuam, sordesque criminum meorum abolere, nisi per diuinum amorem?

Quando veniet dies illa, qua cor meum tui amore ardebit, atque in fornace amoris tui consumetur, vt  
tu

450 TESTAMEN. ANIMAE  
tu Deus meus cogaris mihi omnia  
peccata remittere, iram tuam à me  
auertere: ac metibi placentem ef-  
ficere.

ET NE NOS INDUCAS  
IN TENTATIONEM.

O Pater optime & benignissime,  
te deprecor, vt vinculis amoris me  
arctissimè tecum vinceas, quia cer-  
tus sum, statim vbi odor amoris tui  
aspirare inciperit animæ meæ, me  
facile contemplatam omnes molli-  
tiones & tentationes, quibus inimi-  
ci mei caro, Diabolus, & mundus  
me adoriuntur, & fatigant: Quis  
mihî hoc gratiæ largiatur, vt illi so-  
li colligetur anima mea, cum quo  
vnita omnes inimicos suos spernat  
& despiciat? ô diuini amoris ignis,  
depace & consume in me omnes  
intrinsicas concupiscentias: & om-  
nes aduersariorum meorum mundi  
& Dæmonum insidias à me longe  
repelle,

SED LIBERA NOS A MALO.

Libera me Domine ab omni ma-  
lo, non tantùm à poenis Inferni, sed  
etiam



PARS TERTIA. 451

etiam purgatorij, quod à te Pater  
amantissime peto, non ob tormen-  
torum euasione, sed ob ingens tui  
amoris desiderium, eò quod in his  
locis à tuo amore præpediar: si  
enim in Inferno fuero, te nunquam  
videre potero, ac proinde nec ama-  
re: Si verò in purgatorio, prærahe-  
tur desiderium meum, quo te post  
mortem videre ac perfrui cupio.

Largire itaque mihi Domine a-  
morem tuum, quo remittantur mi-  
hi peccata mea quibus anima mea  
mille Infernos promeretur: Incède  
cor meum in hoc mundo tui amo-  
ris igne, vt in presenti vita diligen-  
ter purgatus, merear in extremo ar-  
ticulo mortis de te gaudere, atque  
in caelis cum omnibus Angelis &  
sanctis tuis in saecula saeculorum te  
possidere. Amen.

EXPOSITIO SALVTATIO-  
NIS ANGELICAE.

*Intellectum illuminans & ad amo-  
rem vnitiuum gloriosissima Vir-  
ginis perducens.*

AUE